

05

A

1590



Q. D. B. V.

Ex

Philosophiâ Practicâ,

DISSERTATIO

De

CONSCIENCIA,

QVAM

In Celeberrimâ Mundi Univerfitate

WITTEBERGENSI

SUB PRÆSIDIO

VIRI

PRÆCELLENTISSIMI pariter atq; CLARIS-
SIMI

DN. JOHANN. FRIDERICI

Schulzens/

Facultat. Philof. Adjuncti Celebratiffimi

meritiffimi,

publicæ difquifitioni

subjicit,

AUTOR-RESPONDENS

GODOFREDUS Zummerell/

Zittâ Lufatus, SS. Theol. atq; Phil. Stud.

Ad diem X. Julii A. Æ. C. M. DC. LXXIIX.

IN AUDITORIO MAJORI.

WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKIL

INCLYTÆ JUXTA AC SPLENDIDISSIMÆ
REIPUBLICÆ

ZITTAVIENSIIUM

COLUMINIBUS pariter atq; LUMINIBUS

quin PATRIBUS PATRÆ

DOMINIS

CONSULIBUS, PRÆ-

TORIBUS atq; SENA-

TORIBUS

VIRIS

MAGNIFICIS, EXCELLENTISS. NOBILISS.

AMPLISS. CONSULTISS. SPECTATISS.

PRUDENTISSIMIS,

GLORIA MERITORUM, STEMMATIS atq; VIRTUTUM

FULGENTISSIMIS:

DNN. PATRONIS atq; PROMOTORIBUS SUIS

humiliter colendisimis;

basce Academici fructus Primitias

inter ardentissimas pro utriusq; seculi felicitate preces,

consecratas offert,

TANTORUM NOMINUM

humilis Admirator ac devotissimus Client

GODOFREDUS Zummerell / Zittà Lusat.

SS, Theol. ac Phil. Stud.



05 A 1590



Incipe, effice, perfice, mi Jesu!

SECTIO I. DOGMATICA.

Dogma I.

Conscientia in genere sumpta est actus intellectus practici, quò facienda dicuntur, & Fugienda dijudicantur.

Ἐκθισις.

§ I.



Obis acturis jam de conscientia ratione methodi præscriptæ, in hâc materiâ observanda veniunt, cum ejus ὀνοματολογία, tum πραγματολογία. Hoc verò quâta felicissimè absolvetur, 1. ἔτυμολογίας: 2. ἰμωονυμίας: 3. Συνομίας evolutione.

§. II. Hinc ab initio statim ad ipsam Conscientiæ ἔτυμολογίαν accingimur, vi cujus vox CONSCIENTIÆ descendit à Præpos: Inseparabili CON & Nomine Substantivo SCIENTIA, adeoq; dicitur quasi scientia cum alio. Ut enim qui rem simpliciter novit, scire dicitur; ita qui cum aliis novit, conscire, Scius secum, Consciens cum alio sciens est, Teste Nonio Marc: in Aut: LL. p. 725. Dicitur autem Conscientia testante Aretio & Magnifico Dn: Doct: Deutschmanno, Præceptore æternum colendo in Exercit: Eth: Disp: 3. th: 9. tum objective, quia multos novit actus, verba, affectus, cogitationes & similia cum alio; tum subjective, quia non solum homo beatus cognoscit bona sua facta, sed etiam alius unâ scit eadem, ut sunt Creator & Creatura, Creator est Solus DEUS, cujus ocu-



lus videt omnia, quo respiciens, cruce pressus Jobus, c: 16. v: 19. inquit: *Consciis meus in caelis est; qui habet oculos Sole lucidiores, ipsas tenebras penetrantes* Psal. 139. 11. in cuius conspectu omnia nuda sunt & aperta Heb: 4. 13. *Creatura* sunt vel *Spiritus*, vel *corpora*; Illi sunt vel *boni* vel *mali*. *Boni spiritus* sunt S. Angeli, qui vitiis & flagitiis nostris tristantur, virtutibus verò & poenitentia lætantur & exhilarantur. Luc 15 7. *Mali* autem sunt diaboli, qui primò nos ad peccata instigant, post exaggerant, in peccata verò lapsos coram DEO accusant & nobis adversantur. Zach; 3. 1. Apoc: 12. 10. *Corpora* vero sunt vel *animata rationalia*, ut *homines*, qui scelerum nostrorum sæpissimè sunt consci, vel *inanimata*, ut sunt coelum & terra Devt: 4. 26. Alii Conscientiam dictam volunt quasi *cordis scientiam*. Unde Hugo l. 2 de anim: c. 12. & D. Bernhard: de interp: Domini c. 12. dicunt: Conscientia est cordis scientia. Aliis verò dicitur quasi *concludens scientia*, quia Conscientia est *Syllogismus Practicus*, qui ex lumine nature concludit, *quid honestum, quid turpe, quid faciendum, quid vè omittendum sit.*

§. III. Spectatâ hujus Vocis Originatione, eidem succedit expendenda *diversa acceptio*. Usurpatur vero vox Conscientiæ modis potissimum quinque; [1] accipitur *pro potentia* sive *actu primo judicandi*, & dicitur Intellectus Practicus, quo in sensu sumitur 1. Cor. 8. 10. (2.) *pro actu*, quo ratio dictat quid sit agendum vel faciendum, adeoq; *pro solâ majore Syllogismi Practici*, & sic accipi videtur Rom. 13. 5 ut & 1. Cor. 8. 10. (3.) *Pro recordatione actionum* sive *pro solâ minore Syllogismi Practici*. sicuti à fratribus Josephi hæc vox usurpata legitur Gen. 43. vers. 22. Hoc in sensu etiam Sapientissimus Regum Salomo in Ecclesiaste c. 7. vers. 23 & electum & selectum DEI vas & organum Paulus 2. Cor. 1. 12. adhibuerunt. (4.) *Pro actu*, quo de factorum nostrorum bonitate vel malitia concludimus laudando vel damnando, adeoq; *pro conclusione Syllogismi Practici*. Hunc autem sensum habet quoties dicitur *accusare, arguere, mordere, vel excusare, & exhilarare*; quâ in significatione allegatur in Epist: Hebr: 13. 18. (5.) *pro secundo actu*, completo sive

sive



Sive totâ ratiocinatione practicâ, quatenus constat ex premiffis & conclusione. Vid : B. Sperling : Anthropol p : 180. confer Rom. 2. 15. quo in loco Apostolus brevem conscientia in-stituit descriptionem, quasi diceret; *Conscientia notat illas ratiocinationes aut Syllogismos Practicos, damnantes aut absolventes hominem.* Et hæc postrema acceptio est hujus loci.

§. IV. Considerata igitur & hac parte *ὀνοματολογίας*, evolvenda adhuc sunt Conscientia *Synonyma*, quæ variis in lingvis suum sortita est nomen. Ebraeis dicitur *לֵב* vel *לֵבָב* Eccles : 7. 23. *רוּחַ* Spiritus. Hinc etiam in N. T. *ἡ καρδία* 1. Joh : 3. 21. & *τὸ πνεῦμα* 1. Cor : 2. 11. vocatur : Græcis dicitur *συνείδησις* à *συν* vel *Con* & verbo *εἰδέναι* scire, quia *Conscientia* est factorum *recognitio*. Apud Latinos verò hoc nomine frequentissimè insignitur, quod sit *discursus Practicus, facta nostra vel accusans vel excusans* ; quia cognito Principio Practico subsumit & demum concludit uti docet Excellentissimus B. D. Wendlerus in Phil : Pract : l. 1. c. 2. §. 12 Aliis dicitur etiam *tranquillitas animi*, ita *letitia & securitas mentis*, bonus animi status ; Hinc rectè Seneca inquit; *Summa beata vita est solida tranquillitas, & ejus inconeussa fiducia* Conf : Marc : Frid : Wendelini Phil : Moral : Lib : 11. de vita beata c. 11. Huc referunt etiam circum-*scriptiones* sequentes, quod sit *Padagogus anima; naturale Judicatorium; cordis notarius publicus, mille testis* &c. In patriâ vero lingvâ vocamus *das Gewissen* / quia certo scit facta, & de iis testatur firmiter, ob quam exactam scientiam, & mordentem attestationem Conscientia vulgò sensus tribuitur cum dicimus *Er fühlet es in Gewissen; das Gewissen sagt es Ihm.* Notat enim hæc vox certam & immotam scientiam de rebo, unde etiam *certitudinem, vel conditionem rei* arguentes ad Conscientiam provocamus.

§. V. Spectatâ Onomatologiâ vocis, nos convertimus ad alteram hujus Sectionis partem nimirum ad *πραγματολογία*, in qua expendenda venit, tum *definitio*, tum *divisio*.

§. VI. *Conscientia in Genere* definiebatur, in nostro
Λ 3 Dogmate I.

6

Dogmate I. quod esset *actus intellectus practici*, quo *facienda dictarentur*, & *fugienda dijudicarentur*. Varias & diversas definitiones & descriptiones Conscientiæ inveniuntur, ut quam debeas eligere sit incertum, novam formare periculosum, omnibus numeris perfectam invenire, sit difficile. Ex Scholasticis Thomas part: 1. qv: 79. art: 17. dicit, *esse actum*, quo *scientiam nostram ad ea, quæ egimus, applicamus*. Bonav: 1. 2. ait esse habitum potentia cognoscitivæ. Ex recentioribus Danæus lib: 1. Eth: Christ: c. 6. p: 18. describit per *intellectum practicum*, prout de actionibus definit; & nobis testimonium reddit. Perkinsius in Anat: Conscientiæ c. 1. ait. Conscientiam esse partem intellectus Practici, de particularibus actionibus stantem in alterutram partem. Lipsius iterum aliter describit; Conscientia inquit est relicta in homine rectæ rationis Scintilla, bonorum malorumq; facinorum index atq; iudex. Quid ergo de his sit sentiendum, & quænam harum sit verior dubium est. Nos in præsentia illam in nostro dogmate positam aliis præferimus, eandemq; nunc examinabimus.

§. VII. Constat verò Definitio nostra tam *Genere*, quam *differentia* Genus est *actus intellectus Practici*. Est igitur Conscientia 1. *actus*. Multos Scholasticorum hic dissentire non latebit, siquidem alii conscientiam describunt per *potentiam*, quando respicitur radix s. *divinus iudicandi & concludendi*. Nam de dormientibus conscientia negari nequit, quam & illi habent, sed non habent *ἐπιπρεσιαν*. Dormiens enim ratione non utitur, sed *δυναμις*, quæ latitat in homine, ac postea exeritur, & in actum deducitur. Alii describunt per *facultatem*, quatenus ea abstrahit *ab habitu & potentia*, alii per *actum* ut Thomas & nos cum nostratibus vulgariter. Qui facile conciliari possunt, si dicatur alia remotè, alia propinquè, alia propinquius, alia proximè ingredi definitionem rei. Est enim Conscientia ens *collectivum* teste B. Meisn: ideoq; tum *potentia*, tum *habitus*, tum *actus*, potissimum principaliter est *actus*, quia est *discursus practicus facta nostra accusans & excusans*. Conscientia 2. est *actus intellectus practici*. Dubium inde ortum, ad quam facultatem animæ pertineat. Conscientia
num

7
im ad intellectum, an vero ad voluntatem. Nos responde-
mus, ad intellectum πρώτως & primario pertinet, nam ejus
actio est scire id, quod & alii sciunt. Scientia autem rerum ad
facultatem γνώσιν, ut subjectum πρώτων pertinet. Nam sci-
re, nosse, dictare, obligare, accusare, judicare ad intelle-
ctum pertinere est in confesso. Intellige autem actum non
Theoreticum sed practicum. In nuda enim cognitione bo-
ni & mali non acquiescit Conscientia, sed eam ad praxin di-
rigit, ut sc: bonum præstetur & obtineatur, malum verò
evitetur. Secundario autem Conscientia spectat ad Volunta-
tem. Nam inclinatio ad agendum, ex voluntate provenit, quæ
principium operationis; actio autem hominis in conscientia
concurrit, & in assumptione judicii, tanquam Minor propo-
sitiō sese habet.

§. VIII. Perlustrato Genere nunc quoq; Differentia spe-
ctanda venit, quam reliqua definitionis nostræ suppleant ver-
ba, Quæ facienda dictantur, & fugienda dijudicantur. Hæc
vero partim a subjecto, partim ab officio petitur. Subjectum
est intellectus Practicus. Cum enim actus conscientia sit ani-
mæ rationalis internus, itaq; vel in intellectu vel in voluntate
eum residere necessum est. Hinc uti in præcedentibus diximus,
ad Voluntatem referri non potest, partim quod Conscientia
in liberâ electione aut rejectione, quæ munia sunt Voluntatis
essentialia, minime consistat, partim quod Voluntas non sit
judicare, sed sese Intellectui dirigenti conformare.

§. IX. Patet ergo ex his conscientiam non cadere in
creaturas rationis expertes, quippe quæ intellectu carent, cu-
jus judicium conscientia. Etsi in brutis appareat conscientia
velut umbra sicut & rationis; cum faciant non nulla quæ ha-
bere videntur speciem quondam æquiritatis & prudentiæ, (ut
sæpè sunt, quæ de canum, Elephantorum & aliorum solertia
narrantur) fiunt tamen ista omnia Phantasia, non rationis
operâ & ab instinctu naturali proficiscuntur, non verò à
Conscientiâ; sed convenit conscientia, nobilissime DEi Crea-
turæ Homini eiq; omni; non exclusis gentilibus, ve irrogeni-
tis, aut protervè impiis; imo neq; ipsis etiam infantibus ad
modum parvulis, in quibus satis mature se conscientia vis
prodit

8
prodit, dum si quid mali commiserint, latere quærent & commissum factum celare.

§. X. Porro differentia petitur à Conscientiæ officiis, potissimum tria primaria recensentur. Primum est dictare hoc est pronunciare de faciendis & omittendis. Hinc rectissimè nuncupatur, *Præco & Concionator legum divinarum & humanarum, suggerens homini, quid ab illo fieri aut omitti debeat*: Non autem suadet aut dissuadet, sed ad rem bonam obligat, hortatur, impellit & excitat, à re verò malâ retrahit & effectum impedit. Alterum Conscientiæ officium est, *testari de iis, quæ facta, vel omissa sunt à nobis*. Hoc verò non dubitanter facit Conscientia, cum hæsitazione & fluctuatione animi; sed ex infallibili notitia hinc rectissimè mille testis nuncupatur, & commodissime *Notario*, comparatur, cui perpetuò calamum ad manus esse oportet, ut quæcunq; sive dicuntur sive fiunt, consignet & annotet, ut omnia deinceps eò accuratius recensere possit. Ultimum Conscientiæ officium est, *judicare facta sive decisivam ferre sententiam, accusare, vel excusare, damnare vel absolvere*. Exemplum hujus processus Judicialis habemus in *Judâ proditore*, qui Conscientiâ victus, tandem dicebat; *se malè fecisse, quod sanguinem innocentem tradiderit hoc modo*:

Quic: Sanguinem innocentem tradit, ille malè facit. Quod principium erat legis naturæ, sub hoc principio assumebat Judas. At qui ego Sanguinem innocentem tradidi; convincebatur enim, Magistrum & Præceptorem suum tale nunquam meruisse Hinc concludebat *E. ego malè feci*, qui morsus tam vehemens erat, ut ipse Judam ceu carnifex agitaret, torqueret & ad desperationem instigaret, donec abjectis argenteis & assumpto fune se ipsum suspenderet.

§. XI. Ex his ergo liquet, Conscientiam non esse dissimilem *Judici*, qui forum agens pro tribunali, sed & postulationes expendit & quemcunq; facinerosissimum ad tribunal suum sistendum curat, sententiamq; contra ipsum pronunciat. Unde domus conscientie interior tribus quasi conclavibus constat; Unum dicas licet *pedagogium*; ubi voluntas suâ naturâ

naturâ cæca informatur ab hoc Magistro , quid in præsens æ-
gere deceat ; Alterum, Curiam Senatoriam, ubi testimonium
perhibetur , & facta examinantur. Tertium est forum iudicii
disciplinare , ubi censura valet.

DOGMA II.

*Conscientia alia est errans, alia opinans, alia
dubia, alia scrupulosa, alia bona,
alia mala.*

EX SECT.

§. I.

Conscientia errans est actus conscientie , cuius iudicium à
jure divino aut humano dissentit sive quæ id iudicat faci-
endum sive omittendum , quod faciendum aut omittendum non
erat. Quare in eò sita esse videtur natura hujus conscien-
tiæ, ut peccet tam qui juxta eam agit , quam qui contra eam.
Iste peccat, quia errorem cum possit deponere, non vult. Hic
in eo peccat, quod iudicium conscientie erret, dum error iste
repugnat & legi divinæ & humanæ. Vid. Scholasticos citatos
ab Hornej. l. 3. Phil. Moral. c. 4. §. 5.

§. II. Conscientia opinans est actus conscientie , cuius
iudicium est probabile. Unde duo requiruntur, unum, ut intel-
lectus assensû ei præbeat & ad unam partem contradictionis
declinet. Alterum est, ut intellectus sufficienter non movea-
tus ab objecto, sed permixtus sit assensus formidine oppositi.
Obligat vero planè ut recta, si ita, ut rectè faciat , qui juxta
eam agit, malè qui contra. Vid. Hornej. l. c.

§. III. Conscientia dubia est actus Conscientie , neutre
sententia assentientis, sed utramq; in dubio relinquentis, & actio-
nem voluntati neq; suadentis neq; dissuadentis. Contra hanc
neutiquam est agendum ; quia intellectus nondum sibi con-
stat, an ejusmodi factum sit contra , num vero juxta honesta-
tis normam. Hinc Canon Theologorum : Quicquid fit hæsi-
tante & dubiâ conscientia; peccatum est.

B

§. IV.

§. IV. *Scrupulosa Conscientia* est actus Conscientiæ in actione ad questionem pertinente, uni parti adhaerentis, sed levis argumentis permota, de appposito dubitare incipientis. *Scrupulus* autem Ethicè consideratus est sollicitudo Conscientiam hominis pungens. Horum autem scrupulorum causæ sunt quatuor (1) *Suggestio diaboli.* (2) *Intellectus ignorantia.* (3) *Judicii imbecillitas.* (4) *Scrupulorum conversatio.* Hinc opus mediis illos eximendi, quæ sunt. (a) *Si scrupulosus scrupulum bonis & prudentibus exponat, eorundemq; consiliis utatur, & suo judicio non tantum nitatur.* (b) *Si Scrupulosus præcepto superioris obediat.* (c) *Si actus de quo dubitat est indifferens, & neq; DEUM neq; Proximum ledat.* (d) *Si aliquid commodum ex isto actu ad ipsum vel alios redundet.*

§. V. *Bona Conscientia* est bonum judicium internum intellectus Practici, de actibus moraliter bonis. Hæc definitione exhibetur conceptus latior & strictior (a) *Latior* est alius remotus, alius Propinquus. Ille est *judicium*, quia conscientia in conclusione ex certis præmissis exorta, eademq; decisiva consistit. *Hic vero to bonum*, quo Judicium à pravo discernitur. Dicitur autem bonum (1) *Normativè*, quia juxta *bonam normam* scil. honestatis instituitur (2) *effectivè*, quia ex bonis præmissis sequitur (3) *objectivè*, quia circa bona acta occupatur. (β) *Strictior* verò constat tum *Subjecto*, tum *objecto* (α) *Subjectum* est *Intellectus Practicus* id quod constat (1) *Ex nominis impositione.* Conscientia dicitur à sciendo. scire autem spectat ad intellectum, 2. *Ex Conscientiæ actione.* ligat enim quatenus agenda indicat; convincit, quatenus acta suggerit; judicat, dum certam fert sententiam [b] *Objectum* sunt actus moraliter boni ad quos bonus animus tanquam effectus sequitur. Cum enim omnis causa bona non nisi bene judicare potest, effectum quoque non nisi bonum bono conciliat animo. Reddit verò animum bonum. (1) *de innocentia mentis testando.* Cum enim hoc testimonium sit domesticum & internum, eo longius aliis externis testibus erit præferendum. [2] *animum à culpâ & pe-*

Et pœnâ absolvendo. Cum enim vir bonus secundum honestem egit, ab eodem in honestum atq; culpam removet. [3] *animum excusando atq; defendendo.* Quando ab adversariis sinistra cogimur audire judicia, [4] *animum consolando,* cum venenè, vel malè audit, vel ab aliis præter culpam affligitur. Insignia igitur sunt, quæ scribit Hugo lib: 2. de animâ c. 9. *Conscientia bona est titulus Religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum declinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula DEI, habitaculum S. S. liber signatus Et in die iudicii aperiendus.* Uberiorem bonæ conscientiae definitionem, modum eam consequendi itemq; notas vide apud M. Ludov. Duntem Cas. Conf. p. 7. seqq. Ethic Conscientiæ bonæ opponitur *mala,* non contradictorie sed privativè, quia cuilibet homini B. C. inesse debebat.

§. VI. *Est autem mala conscientia iudicium malum internum, de actionibus moraliter malis.* Dicitur vero mala [1] formaliter, quia non aliter quam sicut cogitata dicta atq; facta à norma honestatis recesserint, iudicare potest. 2. *obiectivè.* quia circa malos actus versatur. [3] *Originativè,* quia à S. M. oritur. [4] *Subjectivè,* quia in malis hominibus reperitur. [5] *effectivè,* quia hominem vitiosum accusat, accusatum convincit, convictum vero damnat. Unde etiam alia ex hac fluunt mala, ut; *ob admissa scelera pudor; ob cordis aculeos mœror; ob pœnas pro meritis tremor, ob pœnarum gravitatem perturbatio: Et tandem ob perpetuitatem, factorumq; corrigendorum impossibilitatem,* horribilis & miserabilis desperatio. Hinc Poëtæ non ineptè malam Conscientiam per *furias ultrices* adumbrarunt. Si quis desiderat notas atq; proprietates malæ conscientiae, aliasq; descriptiones poterit adire Casus Consc. M Ludov. Duntem. p. 31. seqq.

Conscientia mala est vel mortua, seu dormiens; vel experrecta & inquieta.

**Ex Deois*

§. I.

Conscientia dormiens est, quæ l. parùm, vel planè nõ accusat. Causa hujus infelicis quietis est, partim rationis defectus, ut in Phreneticis; partim affectuum violentia, ut in iracundis partim cordis induratio, ut in Hæreticis & persecutoribus. Et hæc subdistingvitur; In conscientiam torpidam, quæ non nisi in statu calamitatis & ob peccatum gravissimum accusat; uti Conscientia erat fratrum Josephi. Gen: 42. Et in *Cauteriatam*, quæ ita dicitur, quia planè resecta est, vel quia omni sensu destituta est non secus atq; membra cauteriis adusta, quæ planè ob nullum peccatum accusat. 1. Tim: 4: 2.

§. II. Experrecta sive inquieta conscientia est, quæ hominem vitiosum actu accusat atq; damnat. Qualis erat Neronis, matrem è medio tollentis; hinc Pythagoras dicere solitus; neminem esse tam audacem, quem non mala Conscientia faciat timidissimum. Felix ergo atq; beatus, qui hujus cruciatus ne incurrat, sedulo præcavet.

SECTIO II. PROBLEMATICA.

Probl: I.

An Conscientia Bona Fame sit preferenda?

**Ex Deois*

Licèt aliàs magnum sit & inestimabile ferè bonum, bona Fame, ut nõ minus verè ac concinnè quispiam Poëtarum concinnuerit:

Omnia si perdas, Famam servare memento!

Quà semel amissâ, postea nullus eris

Attamen & huic palmam eripit Bona Conscientia. D: autem est I. Inter B. C. & Famæ presentiam atq; essentiam, & inter utriusq; præstantiam. Ratione essentia, hæc duo, specta-
ta ma-

13

ta magna sunt bona, & cuiq; necessaria; & quidem conscientia propter semetipsum, fama autem propter proximum. Illa est internus; hæc externus testis: sed ratione præstantiæ antecellit B. C. famam bonam.

II. D. inter ipsam necessitatem: Et inter necessitatis gradus. Utrumq; bonum viro honesto est necessarium & neutrum ab eo deserendum est. *Crudelis enim est, qui bonam famam deserit* trito fertur proverbio. Interim B. C. præstat famam; id quod probatur. I. ab utriusq; possessione [a] Conscientia est *bonum nostrum*, & nobis eripi nequit: Fama vero ab aliis *dependet* & *facile tolli potest* [b] Conscientia Bona est bonum honestis tantum proprium; famam etiam gaudent pessimi imprimis hypocritæ. II. Ab utriusq; perfectione. Nam (a) qui querit B. C. non errat, Famam autem nimium amantes, sæpius ea excidunt. [b] Conscientia testimonium est certum, famæ autem est fallax. *Quid prodest, inquit Gregorius, si omnes homines te laudant, & conscientia te accusat.* Contra verò.

Conscia mens recti, fama mendacia ridet. Ovid: 4. Fast: Et licet obruatur. - - - - - *hic murus abeneus esto.*

Nil conscire sibi nullam pallefcere culpam Horat: l. 1. Ep. 1. Recte quidem Comicus ille in Mostel. A. 1. Sc: 3. *Ego si bonam famam servasso, sat dives ero. At ego; si bonam conscientiam ditissimus.* B. C. enim optimus hominis thesaurus & iugum convivium. Prov: 15. Hinc Mantuanus rectè interrogat:

Cur tibi tam levis est, cur tam jucunda senectus?
Respondit. *Libera quod vitis tota juventa fuit.*

(γ) Famæ incommoda vitari possunt; Conscientiæ morsus non possunt (δ) Studium Conscientiæ humilitatem & Charitatem; Fama vero plerumq; arrogantiam & aliorum contemptum parit.

Probl. II.

An Judex secundum conscientiam, num vero secundum acta & probata judicare debeat?

EX SECTIS.

Ardua & gravis Controversia est inter autores, pleriq; Scholasticorum

B 3

14

Scholasticorum posterius assumunt & pro aris ac focus pugnant, quanquam in eò discedat Less. l. 2. de 4. Cardinalibus virtutibus c. 29. dubit. 10. n. 75. scribens: *Contraria nihilominus (sententia) videtur verior, nempe judicem nullo modo posse talem Innocentem ad mortem condemnare, sed prorsus debere officium dimittere, etiamsi hoc modo reo nihil esset profuturum.* Cui sententiæ etiam nostrum adjicimus calculum existimantes, Judicem secundum conscientiam debere judicare. Ubi autem observamus, per conscientiam nos intelligere *explorata rei scientiam*, quæ nobis constat de rei veritate, quod fit vel per *divorsias*, vel alia certa infallibilia media de veritate facti & innocentia accusati testificantia; per acta & probata vero intelligi ea, quæ afferuntur probationis loco. Et sic nostra constat opinio 1. *Ex ratione recta*, hæc jubet veritatem amplecti, falsitatem fugere; veritatem autem contra conscientiam premere, lucem tenebras pronunciare pugnat cum principio nobiscum nato, quod jubet unicuique suum tribuere. 2. *Ex Scripturâ sacra Exod. 23, 2.* Infontem & justum ne occidas. Quæ vox Jehovæ nullas admittit limitationes, sed secundum literam est intelligenda. 3. *Ab absurdo.* Si rectè judicant, qui contra conscientiam secundum acta & probata judicant, sequitur Christum rectè à Pilato fuisse condemnatum, id quod impium & blasphemum est, falsa enim testium deposita Christum reum pronunciabant, Pilatus autem secundum conscientiam dicebat: Nullam in eo invenio culpam *Job. 19.* imò sequeretur Susannam fuisse fontem, ob testimonium duorum judicum, quam Scriptura tamen nominat infontem, *Dan. 1. v. 63.*

Probl. III.

*An Magistratus Ecclesiasticus, vel Politicus
in Juramentis possit dispensare, &
conscientiam ab iis liberare?*

* Ex Deo.

Quæstio hæc à Pontificiis pro aris & focus propugnatur,
dum

dum eam praxi & verbis affirmarunt, quod Pontifex habeat absolutam relaxandi potestatem promissiones & juramenta, si ipsorum observatio in Romanæ Ecclesiæ damnum cedat. Hinc Rosweyduſ c: 7. dissertationis suæ *duplicem juramenti relaxandi proponit causam* 1. *Cum juramentum effossis naturæ limitibus pugnat*: quia in re non opus esse indulgentia Pontificis, cum jus naturæ illam relaxationem aperte declaret. 2. *Cum à tramite recto naturæ omnino quidem non recedit, interim tamen exorbitat, & in præceps ruit*; & hic opus esse, ait Pontificis retractione & relaxatione; Atq; hanc rem declarat simili: Quod prudentis aurigæ sit currum sistere, ne vectores evertat, ne obvios proterat, ut proriente impetu suâ solvatur compage; sic, ait dictus Rosweyduſ, Pontifex est auriga Israelis, populum bono ductu regens, humanarum mentium moderator. Novit ille Ecclesiam positam instar currus Amminadab: Cant: 6. quem principes & proceres trahunt ad montem Domini: Nos vero distingvimus inter juramenta. Eorum enim aliud est *licitum*, quod de rebus licitis bono suscipitur animo, aliud *illicitum* quod gloriæ DEi, salutiq; Reipublicæ opponitur. De posteriori Rosweyduſ verum dixit. Nam illud ex declaratione juris naturæ corruiſ; de priori vero negamus Pontificem, vel ullum aliū Magistratū Ecclesiasticū inferiore id posse relaxare, conscientiamq; ab iis liberare.

Probl. IV.

An Bona Conscientia moraliter obligari potest?

Eu. Descr.

D: I. Inter conscientiam in præcisione quatenus & pro intellectu Practico, & pro judicio ab intellectu Practico defactis instituto accipitur; & inter conscientiam in determinatione sumptam, quatenus vel pro Majori vel pro Minori Propositione Syllogismi Practici usurpatur, Prior acceptio hujus loci est.

D.I



D: II. *Inter obligationem in sensu proprio s: physico acceptã, pro constrictione, quæ funibus fieri solet, veluti Plautus in Bacchide hanc adhibet vocem inqviens, Cedo tu illis linum & ceram, ob signa & obliga citò; Et in sensu improprio atq; Etibico sumptam, pro iussione, qua conscientia ad aliquid agendum vel fugiendum adigitur. Et hæc acceptio huc spectat.*

D. III. *Inter obligationem ad actus speculabiles; & ad actus morales exercendos & fugiendos, de his nobis sermo est. Hæc autem obligatio nihil aliud est, quàm coactio & vebemens ad actio conscientia, ut necessario id faciat, deq; facto iudicet, ut si bonum fuerit, laudet, si vero malum, vituperet.*

IV. *Causa obligationis est vel Universalis, vel specialis, vel specialissima. Causa obligationis Universalis est Voluntas divina, quæ hominis conscientiam obligat, vel per legem inscriptam qualis est lex naturæ s: Principia Practica homini innata, vel per legem præscriptam, qualis est lex scripturæ, ubi voluntas DEi s: per legem moralem s: per Evangelii concionem revelata, semper hominis conscientiam obligat. Hic tamen distingvendum inter legem scripturæ ut sic; & inter legem scripturæ talem & talem. Omnis Lex DEi præscripta obligat. Lex autem DEi præscripta determinatè, non semper obligat conscientiam, quia talis restricta est, vel ratione objecti, ad certum populum, qualis erat Lex forensis & ceremonialis Judæis in V. T. promulgata, vel ratione temporis, quæ saltem ad certum tempus vigere & obligare debebat, qualis erant itidem illæ Judæicæ Reipubl: præscriptæ leges peculiare. Hæc autem sc: voluntas divina quàm firmissimè conscientias ad actus morales obligare potest. Unde hæc causa obligationis sola & unica est astringens conscientias: reliquæ causæ obligandi ex hac fluunt. Specialis verò obligationis causa est voluntas Magistratus per legem publicam s: positivam expressa. Specialissima autem est voluntas hominis propria.*

Probl. V.

An Leges Politicæ conscientiam obligant.

Ε'κ 9εσ'15.

D. I. In

17

D. I. *Inter leges à vero & debito legislatore ortas; Et inter leges ab illegitimo legislatore, cui jus leges ferendi non competit, productas.* Leges humanæ à vero & genuino *Nouobérn* cu jus legum ferendarum verè competit, omninò obligant.

D. II. *Inter leges Politicas graviores de rebus arduis institutas, ut de rebus sacris, officiis cultus divini, in negotiis maximè adiaphoristicis: Et inter leges Politicas leviores de rebus minoris momenti, ut circa vitia vitanda.* Ultraq; conscientiam obstringunt, licet *illa* magis & *ha* minus.

D. III. *Inder modum obligandi conscientiam directum atq; indirectum.* Obligatio quidem *directa & immediata*, quæ soli Deo, ejusq; legi communis, legibus humanis nequit venditari. *Indirecta tamen, remota & hypothetica* illis omninò competit. Potestas enim DEi *est interna*, Magistratus autem *vis est externa*. Et DEUS dominatur *Conscientiis*; Magistratus autem *opibus & corporibus*. Ille obligat conscientias *per se* atq; *immediatè*. Hic verò *mediatè* atq; *propteralium* scilicet propter DEUM.

SECTIO III. CANONICA.

I. *Conscientia est omnium hominum.*

EX DEO.

Sicut enim omnes homines gaudent intellectu practico, si nim. ingenium variis doctrinis acuunt & exerceant, ita etiam nemo hominum datur, qui non sit præditus conscientia. Consequentia probatur ex definit. Conscientiæ, quæ demonstrat, conscientiam esse actum intellectus practici Disting. a. 1. inter homines impios & pios. De utrisq; quæritur. Quamvis in his magis se exerat, reperitur tamen apud impios, (2) si non quoad actum secundum seu exercitium, tamen quoad actum primum sive possessionem. Certum siquidem, quod in sceleratis hominibus sæpe quiescat, ea enim causa est, quod detur, conscientia dormiens, quæ homines ob scelera non accusat, nec torquet, sed quietos relinquit, prouti

C

de iis

18

de iis loquitur Paulus 2. Cor. 4. 4. quod Deus hujus seculi ex-
coecaverit sensus incredulorum. it. Eph. 4. 19. vocantur ἀπλη-
γνῶστῆς indolentes aut dolore nescientes. (3) habuerunt eti-
am Ethnici conscientiam, si non in foro poli, ubi denotat pa-
cem cum Deo, quam Ethnicis propter absentiam fidei mini-
mè possumus adscribere, tamen in foro soli, ubi juxta dicta-
men rectæ rationis noverunt, quænam bona, quænam mala
fuerint.

II. Bona Conscientia summo Bono est neces- saria.

Ex Deo

Ratio suppeditatur hæc, quia bona conscientia commu-
niter inter immediatos S. B. effectus recensetur. Ita ut æquæ
illa abesse non possit, ac risibilitas ab homine. Adeoq; ne-
cessaria S. B. 1. non quoad necessitatem absolutam, sed saltem
hypotheticam. 2. non facit ad S. B. constitutionem, sed saltem
consecutionem, quod bonum jam in esse suo constitutum,
immediate sequatur.

III. Conscientia à voto obligari potest.

Ex Deo

Observandum hic est, intelligi *vota licita*, non *illicita*.
Requirantur autem ad votum legitimum quatuor potissimè
(1) nuncupetur soli DEO. Licet enim jam antè omnia nostra
DEO debeamus, & huic magis placeant, quæ liberè, quam
ex necessitate offeruntur, nihilominus tamen excitari potest
animus; ut promptiores simus ad præstandum, ubi alias se-
gniores esse solemus. Quod etiam in Script. Sac. suum habet
fundamentum firmissimum Deut. 23. 21. *Angelis* vero, aut *San-*
ctis, si quid voveris, vorum erit illicitum. (2) fiat à personâ li-
berâ, quæ sui juris est; & ratione uti potest. Vovere igitur
non

non possunt *infantes*, aut *amentes*, quia voti naturam non intelligunt; nec ii qui sub aliorum sunt potestate, puta *liberos sub potestate parentum*, *uxores sub potestate mariti*. Num: 30. 4. (3) Fiat de re possibili & licitâ. Ad impossibilia nemo astringi potest. Exulet ergo Jephtha cum voto suo tam temerè facto, quia illud verbo DEI repugnabat, fidem & φιλοσοφίαν lædebat, scandalum movebat, omniq; utilitate prorsus carebat. Rectissime igitur de hoc voto Jephthæ D. scripsit Hieronymus. *Jephtha in vovendo fuit stultus, & in reddendo impius.* Probè ergò notanda Isidori regula: *In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto muta decretum; Impia est promissio quæ scelere adimpletur.* (4) *Boni finis ergò votum instituat*, qui finis nihil aliud est, quam *gloria DEI, & salus Proximi*; cavendum ergo est, ne votum suscipiatur ex opinione *meriti, perfectionis, Satisfactionis singularisq; cultus*: sed augenda gloriæ DEI, excitanda attentionis, resipiscentiæ, patientiæ, temperantiæ, aliarumq; virtutum gratiâ. Cautelâ vero opus est Christiano; sit ille in vovendo parcus, ne in dissolvendo fiat rarus, qui multa vovet, multa solvat; Spiritus in multis vovendis est *promptus*; sed caro in solvendis *infirma*. Quia propter nemo conscientia suæ laqueas injiciat, plura quam præstare potest, voveat; *Velle* quidem adjacet nobis in multis, sed *posse* minus. DEUS igitur qui solus habet jus conscientias *creandi, conservandi, perdendi, & judicandi*, mundet nostras peccati labe conspersas conscientias, Sanguine filii sui *ἀναιμαγέτης* pretiosissimo, ut reddamur vasa & organa justitiæ divinæ, cui pro præstito auxilio, cum Filio & Spiritu Sancto, sit laus, decus, & Gloria, in Seculorum Secula, Amen!

Conscia

Conscia mens, ut cuiq; sua est, sic vita ma-
nebit:

Prava malam vitam, Recta bonamq; parit
Rite proinde Tuæ vite, **DOCTISSIME**
FACTOR,

Confulis, & repetis conscia facta Tibi.
Perge Tuis studiis benedicet Christus Jesus,
Post has primitias Messis opima cadet!

JOHANNES Deutschmann/D.

Quam benè prima Tibi cura est mens con-
sciarecti;

Hanc exponis, eam per pia facta tenes.
Gentibus hinc gignunt Furias malefacta fu-
rentes,

Quæ torquent mentes, nocte dieq; malas.
Sed TIBI sunt cordi, Tumerelli, talia facta
Quæis hominum menti grata paranda
quies.

Has epulas justæ mentis Tibi servet Jova?

Atq; bonæ vitæ det bona dona DEUS!

Quin imò his doctis curis doctoq; Labori,

Dent Patriæ Patres præmia larga, precor.

Suo pientissimè docto TUMERELLIO
gratulab. hæc dabat

GEORGILIS WAGNERUS, SS. Th. Lic.

Past. & Super. Zahnensio

21

Ad Virum-Juvenem Præeximium atq; Doctissimum
DN. GOTHOFREDUM *Summerell* /
Dissertationis Autorem

**Fautorem, Auditorem & Amicum suum
honoratissimum.**

QVÔ majori æstimio est conscientia, majoremq; possiden-
tibus eam parit lætitiã, eò magis laudanda erit industria
eorum, qui illo occupantur doctrinæ genere, quod circa res
morales versatur, & in edendis ingenii dotibus maxima su-
beunt pericula, publiceq; cathedram scandunt. Cum igitur
& TU *Clarissime Amice* hactenus huic scientiæ navaveris ope-
ram ac tantos feceris progressus, ut jam in publicum prodi-
re, egregiumq; illud specimen, eruditè satis à Te elaboratum,
edere non erubescas. Igitur non possum non, quin Tibi in
præsenti ex animo gratulet. Deus faxit, ut quotidie eruditio
Tua crescat, & Respubl. Literaria ingens capiat emolu-
mentũ. Ita tandem fiet, ut Deo in gloriam Tuisq; vivas in gau-
dium, id quod sperandum, si labores debito compensabun-
tur præmio. Dab. è. Musæo d. 27. Jun. Ao. 1678.

M. Joh. Fridericus *Schulze* /
Fac. Phil. Adj.



Es pranget ein Diamant in rohtes Gold verseket /
Ingleichen ein Sapphier
Wenn Jhn des Meisters Hand sehr künstlich auß geäket ;
Doch des gewissens Zier
Viel höher als das Gold und Edelstein zu schätzen.
Gleich wie das Sternen Zelt /
An dem des weisen Sinn sich pfeget zu ergehen ;
Weit über trifft die Welt ;

80

So das Gewißen auch bey Welten vorzuziehen
Dem Gold und Edelstein.

Nun was Gewißen sey thustu dich auch bemühen
Zu lehren hter gar fein /

Beehrt und werther Freund: Ich lobe dein beginnen
Und wünsche dir zum Preis

Dem blaffen Meid zu trotz / Von des Parnassus Zinnen
Vor Fleiß ein Lorbeer Reiß.


In Eil schrieb dieses seinen werthgeschätz-
ten Herrn Lands-Manne auff begehren
DANIEL PAULI Juris Stud.



נה הפשת את מעשה גרל
חפש אתה היום סוד אדני אל:
על-כן עתע שמחתי בכל-לבי
האל יצליח לך נדר בכל-נפשי:

ita f.

Johann. Georgius Dolansky/Neo-
Bolesl. Boh. SS. Theol. St.



Quantum est homini mens, quæ sibi conscia
recti!

Quod, quæso, in Vitâ præstat habere bonum?
Nil conscire sibi, ceu murus aheneus esto;

Vincere quem famæ nulla ruina potest.

Utilis ergo tuus labor est, Doctissime Fautor!

Quem Superus fato prosperiore beet!

gratulabundus adjecit

Samuel Roscher/ Z. L.

SS. Th. Stud.

Wie

Wie einer seine Pflicht in seinem Stand erwogen
 Legt das Gewieſen hier ein wahres Zeugnis ab/
 Es sagt ob auch die Zeit mit Nutzen ſey verſlozen
 Und ob man auch ſein Pfund recht angewendet hab.
 Wohl dem/dem dieſer Zeug' ein gutes Zeugnis giebet
 Der hat hier ſchon zum Theil das aller höchſte Guth/
 Steht das Glück ihm zu wehlen gleich betrübet
 Ein gut Gewieſen hält ihn doch bey guten muth.
 Drum iſt es wohl/daß man bey ſich wohl überlege
 Was das Gewieſen und was deſen Wirkung ſey/
 Was es vor eine Luſt dem zu gebähren pflege
 Wer hier auf dieſer Welt von deſen Kränckung frey.
 Und weil Geehrter Freund Er dieſes wahr genommen
 Hat vom Gewieſen auch ſein Fleiß was unterſucht/
 Ich wündſch' das auf ſein thun mög einſt Belohnung kommen
 Die billich ſonſt ſoll ſeyn des Fleiſſes süße Frucht.
 Mit dieſen geringfügigen Zeilen wolte
 ſeinem vielgeehrten Herrn Landſmann
 aufwarten

Heinrich Gottheiff Löſner
 LL. Stud.



Ist da die Gluth der Sonne uns erhitzt
 Und mit gewalt die Reifung ſchenckt den
 Früchten
 Damit die Erde ſchwanger ſteht
 So ſitzt Er auch und ſchwitzt
 In dem Er ſeinen Sinn wil aufs Gewiſſen richten
 Ich lobe ſeinen Fleiß und hoff' daß dies bemühen
 Auch Ihm werd' zeitigen die angenehmen Früchte
 Die

Die Schweiß und Tugend nach sich
ziehen

Und wodurch man zu Ehren geht.

Zacharias Kiedel. Z. L.

SS. Th. Stud.



Quod studiis Sophiae fueris sacratus amice
Monstrat nunc praesens, quod modo po-
nis, opus.

Summus in axe Deus porro conatibus adsit

Sic tandem Patriae commoda multa feres.

Dni. Respondentis,

Johannes Wilhelmus Möller.

Z. L.



Hör fort/ Geehrter freund/ und zeig dem Vater-
lande

Wie Du von Jugend auf an seinem Meissen-Strande

Ist auf dem Elb-Uthen Minervens Hand geküßt

Und wie hinwiederum SIE dich hab ausgerüßt

Vor die bezelgte Trew/ mit Kunst/ Geschicklichkeiten

Und edler Wissenschaft: Ich wünsche daß bey zeiten

Der ruhm gepriesne fleiß erlange solche frucht

Die DEIN steh munterer Geist von Kludheit an gesucht.

Hiemit hat seinem Herren Landsmanne

aus Schuldigkeit beehren wollen

A. N.



05 A 1590


ULB Halle 3
003 779 84X



1077 811







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

V.

Practicâ,
ATIO

SENTIA,

ndi Univerfitate

GENSI

SIDIO

I

Al pariter atq, CLARIS.

I

FRIDERICI

gens/

ndi Celebratissimi

mi,

sitioni

t,

ONDENS

IS Zummerell/

l. atq; Phil. Stud.

C. M. DC. LXXIIX.

MAJORI.

GÆ,

WILCKIL